

esset differentia, quod ibi testator in testamento dixerit: Quem Titius voluerit hæres esto, hic vero testator extra dispositionem ultimæ voluntatis & quasi per modum mandati Titio commiserit distributionem bonorum suorum. Uti vero nullum est dubium, nec ejusmodi mandatum valere propter rationem *d. l. 32. ff. de hered. instit.* Ita & ratio modo dicta obstat, quominus possimus nobis persuadere, sub ea latere exemplum captatorix institutionis.

§. VIII. Magis inconcinna est sententia illorum, qui putant formam Captatorix institutionis exhiberi in *l. 68. de hered. instit.* & in *l. 52. de Condit. & demonstr.* quando scilicet quis instituatur sub ejusmodi conditione, quæ plane ab arbitrio illius, qui istam adimplere debet, dependeat, e. g. instituo te, si Titius Capitolium adscendat. *vid. Suarez. & reliqui Autores §. 6. citati item Dd. passim ad d. l. 68. & d. l. 52.* Hoc autem genus institutionum quod attinet, non magna equidem differentia videtur esse inter hanc & illam, quæ in absolutam alterius confertur voluntatem, siquidem in dicto casu ipsa institutio non minus dependere videtur ab arbitrio tertii, quam actus iste, ut adscendat capitolium, utpote a quo actu ipsa quoque dependet heredis institutio, atque exinde factum esse arbitror, quod casus iste ad captatorias institutiones relatus fuerit. Interim tamen in effectu maxima omnino cernitur esse differentia, siquidem per se manifestum quidem, institutiones expresse & simpliciter in alterius arbitrium collatas non valere, contra vero istas sub ejusmodi conditione, utut, illa maxime ab alterius voluntate dependeat, subsistere. Verba *d. l. 52. dedimus jam §. 6.* Similia plane sunt Pomponii in *d. l. 68. de hered. instit. si quis Sempronium heredem instituerit, sub hac conditione si Titius in Capitolium adscenderit: quamvis non alius heres possit esse Sempronius, nisi Titius adscendisset in Capitolium, & hoc ipsum in potestate sit repositum Titii, erit utilis ea institutio. Atquin si quis ita scripserit, si Titius voluerit,*
Sem-